



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

I. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

DE LIBRO SECUNDO MACHABÆORUM.

I. Variis constat partibus hinc inde collectis & confutis secundus Machabaicus. II. Disputatur de Auctore Libri hujus. III. Probaturs Machabaici secundi *γνωσις* & antiquitas.

I. **M**ULTIS partibus conflatum esse Machabaicum secundum liquet. Nam primum ad Libri frontem præfixæ sunt Epistolæ duæ, prior populi Hierosolymitani ac Judaici ad Hellenistas Ægyptios, quæ in nono versu primi capituli definit: altera populi ejusdem, Senatus, & Judæ ad Aristobulum & eosdem Ægyptios Judæos. Hæc eos ad celebrandum diem ignis, illa ad diem Scenopegiæ mensis Casleu, sive Encæniorum festo ritu traducendum hortatur. Quæ quoniam res Machabaicis gestas temporibus continebant, & Machabaici erant argumenti, in hoc Machabaicum volumen merito relatæ sunt. Subjecta est deinde Jasonis Cyrenæi historię epitome. Quid ea historia contineretur, tradit ipse Epitomes Auctor: De Juda Machabeo, & fratribus ejus, & de Templi magni purificatione, & de aræ dedicatione, & de preliis quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, & filium ejus Eupatorem, ab Jasono Cyrenæo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno volumine brevare. Extrivi voculam, itemque, in editione Vulgata his dictionibus præfixam, ab Jasono Cyrenæo, unde imprudens aliquis alia ab Jasono desumpta suspicari posset, quam quæ supra memorantur, nam vocem illam Græcum exemplar non agnoscit. Quæcumque præterea Machabaicus ille secundus continet, haudquaquam Jason ille suppeditavit: puta caput tertium & initium quarti, quæ res sub Seleuco gestas referunt; item postrema duo, quæ ad Demetrii Soteris tempora pertinent. Notandus interim obiter Blondellus, qui ignorari ait qua lingua historiam suam ediderit Jason Cyrenæus, cum clarissima ratio suadeat, ea usum esse lingua, quæ Callimachus itidem Cyrenæus poemata sua scripsit, Græca nimirum, quæ inter Cyrenæos Græcæ originis homines usurpabatur. Eadem quoque in multis Ægypti partibus, ac maritimis præsertim obtinebat, maxime vero Alexandria. Itaque harum regionum incolæ Judæi Græco sermone vulgo loquebantur, & Libros sacros Græce scriptos in Synagogis prælegebant; Ebraicæ vero linguæ fere rudes erant & inscii. Quapropter Hellenistæ dicti sunt, quod cum Judaicæ essent originis, Græca loquela uterentur. Ex pluribus ergo libris excerptum esse Machabaicum secundum satis ista indicant: Considerantes enim multitudinem librorum, & difficultatem volentibus agere di narrationes historiarum propter multitudinem rerum, curavimus volentibus quidem legere, ut esset animi oblectatio; studiosis vero, ut facilius possint memoria commendare. Tum deinde: Libenter laborem sustinemus, veritatem quidem de singulis auctoribus concedentes, ipsi autem secundum datam formam brevitati studentes. Ipsa præfatio in fine secundi capituli posita, ad sequentia viam muniens, non aliunde petita est, sed è Scriptoris Machabaici penu deprompta. Valde porro credibile est ad id consarcinandum opus, inter reliquas scriptiones, priore Machabaico usum quoque fuisse, uti ostendimus supra, aliisque memoriis ex Hierosolymitano tabulario desumptis. Id ut significaret, eam, quam dixi, Hierosolymitanorum epistolam quasi dedita opera representavit, in qua hæc habentur: Judas ea qua deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos. Si ergo desideratis hæc, mittite qui perferant vobis. Itaque ne præclaro hoc patriæ fortitudinis, & divinæ erga gentem suam benignitatis monumento carerent Hellenistæ Ægyptios, quemadmodum reliquos Codices sacros Ebraico sermone descriptos Græce redditos habebant, ita Machabaicorum quoque gestorum historiam literis Græcis, quibus utebantur, complexi sunt; exemplar Ebraicum ita affectati, ut alios quoque ejusdem argumenti libros adhiberent. Ex ipsa sane phrasi Græce lucubraturum esse vere dixit Hieronymus. Quidam non satis caute distinctis variis Libri hujus partibus, cum Librum ab Hierosolymitanorum Epistola inchoatum esse perspexissent, nec bene observassent Epistolæ hujus clausulam, reliqua coherere, totumque Librum epistolam unam esse crediderunt. Fuit in ea sententia Genebrardus; fuerunt & alii, cum recentiores, tum antiqui, Vetustam *ἐπιστολῶν* profert doctissimus Cotelierius, quæ Machabaicum secundum epistolæ formam habere definit. Eandem ob causam ab Hierosolymitanis scriptam esse Rabanus Maurus opinatus est; sed numero singulari Auctor de se ipse loquens in postremis Libri versibus apprehenditur, ut recte notatum est à Serario; & duæ sunt Epistolæ; & secunda in

Variis constat partibus hinc inde collectis & confutis secundus Machabaicus.

De Juda Machabeo, & fratribus ejus, & de Templi magni purificatione, & de aræ dedicatione, & de preliis quæ pertinent ad Antiochum Nobilem, & filium ejus Eupatorem, ab Jasono Cyrenæo quinque libris comprehensa, tentavimus nos uno volumine brevare.

Blond. De Sibyl. lib. 2. cap. 24.

1. Mach. 2. 15, 16, 19.

1. Mach. 2. 14, 15.

Hieron. Prol. Gal.

Genebr. in Chronol. Cor. in Not. ad Canon. Apoll.

Serar. in Mach. Præloq. 2.

decimo nono capitis secundi versu clauditur.

*Disputatur de
Auctore libri
hujus.*
Hon. De Script.
Ecl. in Phi-
lone.

Hier. libr. 2.
adv. Pelag. cap.
5. & libr. De
Script. Ecl. in
Iosepho.
Eul. Hist. libr.
5. cap. 10.
Serar. Praefat.
2. in Mach. &
in cap. 1. & 2.
libr. 2.
2. Mach. 2. 14.

Jof. Antiq. libr.
13. cap. 19. & De
Bell. Jud. libr. 4.
cap. 5.

II. At quis ea in librum unum compegerit, itidem ut prioris Machabaici Auctor, prorsus ignoratur. Philoni Judaeo lucubrationem adscribit Honorius Augustodunensis, Iosepho alii. At stili character à Philonis stilo discrepat, etsi disertus est, nec in Philonis scriptionibus occurrit quicquam, unde non modo scerum ipsius hunc esse, sed vel visum ipsi conjectare liceat: quod esset sane aliter, si Libri auctor extisset. Iosepho autem cur sit adscriptus, causa manifesta est. Scripsit is elegantem librum hoc titulo: *ἰς μακχαβαίου, ἢ περὶ ἀποκρίσεως Ἰουδαίου*, quo Eleazari, septemque puerorum, ac piissimae matris supplicia narrantur. Hinc Hieronymus: *Iosephus Machabaeorum scriptor historiae, frangi & regi posse dixit perturbationes animi, non eradicari.* Idem alibi quoque apud eundem reperias, sed & apud Eusebium. Fraudi haec fuerunt vel imperitis, vel incautis lectoribus, qui expressum ex Machabaico secundo libellum, cum Machabaico ipso secundo confuderunt. Adde & nonnulla haberi in Archaeologia Iosephi, quae cum Libro illo non satis consentiant. At Serarius Judaei cuiusdam Essaei opus hoc esse opinatur, quam opinionem his rationibus fulcit. Judae primum id adscribi vult his verbis secundi capitis: *Judas ea quae deciderant per bellum quod nobis acciderat, congregavit omnia, & sunt apud nos.* Tum deinde disquirens, quisnam fuerit ille Judas, eo tandem delabitur, ut conjecturas suas in Juda Essaeo sistat, quod magna ejus fuerit inter Aegyptios Judaeos auctoritas, & quod vaticinandi etiam facultate floruerit, ut ex Iosepho discimus. Nec alium esse putat quam qui huic ipsi Epistola scribenda affuit, & in inscriptione nominatur. Atque hujus demum sententiae auctorem laudat Rupertum. Ego contra hoc loco quem designat in secundo capite, minime adscribi puto Judae isti Machabaici secundi lucubrationem. Judam ait res per bellorum motus dissipatas recollegisse, quod de Bibliotheca accipiendum ostendit antecedens comma. At aliud est colligere libros, aliud scribere. Praeterea demum Judam libros scripsisse, non ideo Machabaicum hunc scripsit. Nego etiam Judam Essaeum hunc fuisse, qui etsi summa inter suos dignitate ac futurorum praecognitione, non ideo scribendi quoque facultate praestiterit. Nego denique eundem esse Judam illum, quem Machabaicum esse verisimile est, ac qui in Epistola lemmate ponitur. Hanc ergo opinionem tam infirmis nixam radicibus corruiere necesse est. Verum cum longe operosius sit reperire verum, quam falsum refellere, quis non fuerit hujus scriptionis Auctor ostendisse contenti, quis fuerit tandem, eruditioribus aut felicioribus investigandum relinquemus.

*Probatnr
Machabaici
secundi γυνώ-
σις & antiqui-
tatis.*
Ebr. 11. 35.
2. Mach. 6. 19.

Cleu. Alex.
Strom. 5.

Can. Apost. 76.

III. Nunc quod instat agendum, & sua γνώσις ac antiquitas Libro huic inter Codices sacros postremo asserenda est. Opem ad id nobis praestat Epistola ad Ebraeos, cujus haec verba: *Alii autem dissentunt, non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem*, Theodoretus, alique eruditi viri complures, ex Eleazari & septem fratrum historia, sexto & septimo capitibus scripta, petita censuere. Nam quod habet scriptor Machabaicus: *ἀναβήτους ἐπὶ τὸ πύμπανον σπασίης*, sic reddidit Paulus: *ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίδισαν*. Hinc quoque instructus ad egregiam ejusdem casus narrationem conscribendam videtur Iosephus accessisse, vel quisquis auctor est libelli περὶ ἀποκρίσεως Ἰουδαίου, scriptor certe antiquus. Apertissime vero meminit Clemens Alexandrinus τὴ συνταξαμένην πρὸς τὴν μακχαβαϊκῶν ἐπιτομὴν. Apertius etiam Origenes Machabaicum utrumque post Librorum sacrorum recensionem commemorat, grandemque ex secundo hoc laciniam suis in Exodum Exegeticis affuit, atque alibi saepe ejus testimonio sententias suas confirmat. Ejus quoque suffragio crebro se tuetur Cyprianus. His subjungere possem Zenonem Veronensem, Ambrosium, aliorumque deinceps agmina tota, sed acquiescamus in Canonibus Apostolorum, apocryphis, ut voles, antiquis certe, qui Machabaicos tres agnoscunt, & in Thalmudicis scriptoribus, à quibus septem fratrum historia celebratur.

